

VAL. FALTONIA PROBA,

CENTONUM POETRIA.

(Ex collectione omnium poetarum, etc., Pisauri cusa 1766.)

PROLEGOMENA.

Valeria Faltonia Proba, uxor Adelfii procos. (quam ab Anicia Faltonia trium consulum matre Proba pulchre distinguit (a) Tho. de Simeonibus V. C.), circa A. C. 400 centonem ex Virgilio de fabrica mundi et Evangeliiis plenissime expressit. *Centonum Virgilianorum* poetriam, *Faltoniam Probam*, civem Hortianam, non *Falconiam* appellandam esse, et nec cum Anicia Faltonia Proba (de qua Baltellus (b) in diss. de sarcophago marmoreo Probi Anicii et Probæ Faltoniæ in templo Vaticano Rom. 1705, 8), nec cum Valeria Proba uxore Adelfii procos. quidquam habere commune docet Vir eruditissimus Justus Fontanini libro II de Antiquitatibus Hortiæ Colonæ, (c) Rom. 1708, in 4º, oppugnans virum itidem præstantissimum Thomam de Simeonibus, qui Valeriam Faltoniam Probam, Adelfii (d) uxorem, centones illos composuisse contendit. Scripti sunt post A. C. 593, cum Honorius jam Augustus atque imperator esset: editique, post Venetam editionem (e) 1472, in fol. et Romanam 1481, in 4º, in Bibl. Barberina obviam ab Aldo, una cum Sulpicio Severo, Homerocentonibus, Juvenco, etc., Venet. 1501, in 4º, a qua *ἰκδόσει* plurimum differt altera itidem in quarto circa idem, ut videtur, tempus sine loci et anni annotatione vulgata. Præterea prodierunt Paris. 1509, in 4º, apud Joannem Petium, et Lugd. 1516, cum Mantuano et aliis: Oppenheimii anno 1517; Francof. 1541, in 8º, curante

Petro Brubachio, una cum Homerocentonibus et Nonno. Tum Paris. apud Franciscum Stephanum 1543, in 8º; et apud Henricum Stephanum 1578, in 12; et, curante Julio Roscio, Rom. 1588, in 12, nec non cum aliis Virgiliocentonibus ab Henr. Meibomio recensitis Helmstad. 1597, in 4º. Omitto editiones alias, ut Coloniensem 1601, in 8º, et quæ in Bibliothecis Patrum occurrunt. Sed præ cæteris laudandum studium Jo. Henrici Kromayeri, qui Centones hos notis et indice ornatos vulgavit Halæ 1719, in 8º, signatis ad singulos versus locis Virgilio, quibus centones illi constant. Novam editionem exspectare nuper a se jussit in Ephemeridibus litterariis Germanice editis Lipsiæ A. 1710, pag. 1010, atque iterato in novis litterariis A. 1719, pag. 33, præclarus Vir Jo. Gottlieb Krause. Jampridem Probæ Centones una cum Tancredo Philippi Beroaldi Gallice convertit Richardus le Blanc Paris., 1555, apud Robertum Messalinum, teste Crucimano pag. 440 Bibl. Gallicæ. Sic quoque et quidam Pomponius ex eodem poeta inter cætera styli sui otia Tityrum (carmen bucolicum) in honorem CHRISTI composuit, ut refert Isidorus lib. I Originum c. 58. Pomponii carmen non tulit ætatem, at Probæ Centones Honorio imp. dicati sæpius lucem viderunt, editi primum sunt ab Aldo 1501, in 4º.

(a) Confer Ephemerides Paris. A. 1694, pag. 249 seq. et Pagium ac Sam. Basnagium ad A. C. 395.

(b) Mémoires de Trévoux, 1608, p. 876.

(c) Acta Erud. 1709, pag. 6. Mémoir. de Trévoux. 1708, pag. 1904. Giornale de' Letterati d'Italia, tom. XXIV, p. 140 seq.

(d) Isidorus Hisp. de scriptoribus Eccles. cap. 5: *Proba uxor Adelfii procos. femina inter viros ecclesiasticos idcirco posita sola, pro eo quod in laude Christi versata est, componens centonem de Christo Virgilianis coaptatum versiculis. Cujus quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium. Quod tamen opusculum legitur inter apocryphas Scripturas insertum.* Gelas. dist. 15, c. 3: *Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum.* His adde quod

ad calcem codicis ms. Centonum sæculo X exarati, qui exstat in Bibl. monasterii S. Benedicti Padolironensis non procul a Mutina, hæc leguntur teste Bernardo de Montfaucon Diarii Italici pag. 36: *Proba uxor Adelfii mater Olibrii et Aliepii (Alypii) cum Constantii (Constantini) bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum.*

(e) Illius primæ editionis titulus ita refertur a C. V. Michaelæ Maittaire in Annalibus typograph. pag. 98: *Ausonii Peonii poetæ disertissimi Epigrammatou libri; Probæ Centonæ clarissimæ feminæ excerptum e Maronis carminibus ad testimonium Veteris Novique Test. Ovidii Consolatio ad Liviam: Calphurnii Bucolicum carmen: Publ. Greg. Tiferni hymni et alia Poemata*, Venet. 1472 in-fol.

VAL. FALTONIÆ PROBÆ,

FEMINÆ CLARISSIMÆ,

CENTONES VIRGILIANI,

AD TESTIMONIUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Proœmium.

Jamdudum temerasse duces pia fœdera pacis,
Regnandi miseros tenuit quos dira cupido :
Diversasque neces, regum crudelia bella,
Cognatasque acies pollutas cæde parentum :
Insignes clypeos, multoque ex hoste tropæa :
Sanguine conspersos tulerat quos fama triumphos
Innumeris totiens viduatas civibus urbes,
Confiteor, scripsi, satis est meminisse malorum.

Invocatio Dei.

Nunc, Deus omnipotens, sacrum, precor, accipe car-
Æternumque tui septemplex ora resolve [men,
Spiritus, atque mei resera penetrabilia cordis :
Arcana ut possim vatis proba cuncta referre.
Non nunc Ambrosium curâ est mihi quærere nectar,
Nec libet Aonio de vertice ducere musas.
Non mihi saxa loqui vanus persuadeat horror,
Laurigerosque sequi tripodas, et inania vota,
Jurgantesque deas triferros, victosque penates :
Nullus enim labor est verbis extendere famam,
Atque hominum studiis parvam disquirere laudem.

Tractandorum propositio.

Castalio sed fonte madens imitata beatos,
Quæ sitiens hausit sanctæ libamina pacis,
Hinc canere incipiam : præsens Deus, erige mentem.
Virgilium cecinisse loquar pia munera Christi :
Rem nulli obscuram repetens ab origine pandam,
Si qua fides animo, si veros fusa per artus
Mens agitat molem, et toto se corpore miscet
Spiritus, et quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

PARS PRIMA.

DE VETERE TESTAMENTO.

De precatio ad Deum.

O Pater, o hominum, rerumque æterna potestas,
Da facilem cursum, atque animis illabere nostris :
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
Nate Patris summi, vigor et cœlestis origo :
Quem primum colimus, meritosque novamus honores,
Jam nova progenies, omnis quem credidit ætas.
Munera vera cano, satis est potuisse videri.
Jam pridem memini veterum monumenta virorum
Museum ante omnes totum cecinisse per orbem
Quæ sint, quæ fuerint, et quæ ventura trabantur
Omnia, ut ipse tener mundi concreverit orbis.
Felix qui potuit rerum cognoscere causas,

A Unde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ in marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Et si quid simul ignis habet, vel mobilis humor.
Haud aliter prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim; major rerum mihi nascitur ordo,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas.
Namque (fatebor enim) levium spectacula rerum
Semper equos, atque arma virum, pugnasque camebam,
Et studio incassum volui exercere laborem;
Omnia tentanti potior sententia visa est
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Inque dies aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Ore favete omnes, latusque advertite mentes,
B Matres, atque viri, pueri, inuuptæque puellæ.

De creatione Mundi.

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, solisque labores
Ipse Pater statuit : vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ decitis annum.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æther,
Sed nox atra polum bigis subvecta tenebat,
Et chaos in præceps tantum tendebat ad umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

De divisione lucis a tenebris.

Tunc Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Aera dimovit tenebrosam, et dispulit umbras,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem.
C Sidera cuncta notat, tacito labentia cœlo,
Intentos volvens oculos, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Obliquus qua se signorum verterit ordo.

De quatuor temporibus anni.

Postquam cuncta videt cœlo constare sereno
Omnipotens, stellis numeros et nomina fecit,
Temporibusque parem diversis quattuor annum,
Æstusque, et pluvias, et agentes frigora ventos.
Atque hæc ut certis possemus discere signis.
Vere tument terræ, et genitalia semina poscant :
Ac medio tostas æstu terit area fruges,
Et varios ponit fetus autumnus, et atra
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
D Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Tempore jam ex illo secundis imbribus æther
Magnus alit magno commixtus corpore fetus.

Dies primus.

Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Ducebatque diem stellis aurora fugatis.
Tunc durare solum, et discludere Nerea ponto
Incipit, et rerum paulatim sumere formas,
Et variæ pelagi facies, immania cete
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant,
Nec non et vasti circuibant æquora ponti.
Jam sole infuso, jam rebus luce reiectis
Exsultans, roremque simul dispargit amarum.

Dies secundus.

Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Fudit humus flores, et frondes explicat omnes,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis,
Non rastris hominum, non ulli obnoxia curæ.

Dies tertius.

Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram,
Avia tunc resonant avibus virgulta sonoris,
Et liquidas corvi presso dant gutture voces,
Nec gemere aëria cessabat turtur ab ulmo.

Dies quartus.

Quarto terra die variarum monstra ferarum,
Omni genumque pecus, nullo custode per herbam,
Educit silvis: subito (mirabile visu!)
Tunc demum movet arma leo, tunc pessima tigris
Squamosusque draco, et fulva cervice læna
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum.
Cætera pascuntur virides armenta per herbas,
Nec gregibus liquidi fontes nec gramina desunt.

Dies quintus et sextus.

Jamque dies, alterque dies processit, et omne
Hoc virtutis opus divinæ mentis et artis
Prospiciens Genitor, perfectis ordine rebus,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Terrarum, tractusque maris, cœlumque profundum,
Alituum, pecudumque genus, secumque volutat
Qui mare, qui terras omni ditioe tenerent,
Neu segnēs jaceant terræ, juvat usque morari.

De formatione primi hominis.

Talia versanti subito sententia sedit,
Felicemque trahit limum fingitque premendo
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni.
Jamque improviso tantæ pietatis imago
Processit, nova forma viri pulcherrima rerum,
Os humerosque Deo similis, cui mentem, animumque
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.

De formatione Evæ.

Quæritur hinc alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, sociusque in regna vocari.
Haud mora, continuo placidam per membra quietem
Dat juveni, et dulci declinat lumina somno.
Atque illi medio in spatio jam noctis opacæ
Omnipotens Genitor costas et viscera nudat.
Harum unam juveni, laterum compagibus actis,
Eripuit, subitoque oritur mirabile donum,
Argumentum ingens clara cum luce refulsit

A Insignis facies, et pulchro pectore virgo
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Olli somnum ingens rupit pavor, ossaque et artus
Conjugium vocat, et stupefactus numine pressit,
Excepitque manu, dextramque amplexus adhæsit.

Deum protoplastum et Evam benedixisse.

His demum exactis, torquet qui sidera mundi
Jussit: eo dicente premit placida æquora pontus,
Et tremefacta solo est tellus, silet arduus æther.
Vivite felices, interque virentia culta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Hæc domus, hæc patria est, requies ea certa laborum.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi, multosque per annos
Non rastrum: patietur humus, nec vinea falcem.
B At genus immortale manet, nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Quid prohibitum primis parentibus.

Vos contra quæ dicam animis advertite vestris;
In medio ramos, annosaque brachia tendens
Est in conspectu ramis felicibus arbor,
Quam neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Relligione sacra numquam concessa moveri.
Hæc quicumque sacros decerperit arbore fetus,
Morte luet merita: nec ne sententia vertit:
Nec tibi jam prudens quisquam persuadeat auctor
Commaculare manus, liceat te voce moveri
Feminea, nec te ullius violentia vincat,
Si te digna manet divini gloria juris.

C

De deliciis Paradisi.

Postquam cuncta pater, cœli cui sidera parent,
Composuit, legesque dedit, camposque nitentes
Desuper ostentat, tantarum gloria rerum:
Ecce autem primi sub limine solis et ortus
Devenere locos, ubi mollis amaracus illos
Floribus, et dulci aspirans complectitur umbra.
Hic ver purpureum, atque alienis mensibus æstas,
Hic liquidi fontes, hic cœli tempore certo
Dulcia mella premunt, hic candida populus antro
Imminet, et lentæ texunt umbracula vites:
Invitant croceis halantes floribus horti
Inter odoratum lauri nemus, ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Fortunati ambo, si mens non læva fuisset
D Conjugis infandæ, docuit post exitus ingens.

Tentatio per Serpentem.

Jamque dies infanda aderat per florea rora:
Ecce inimicus atrox immensis orbibus anguis
Septem ingens gyros, septena volumina versat,
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Obliqua invidia ramo frondente pependit,
Vipercam inspirans animam, cui tristia bella
Iraque invidiæque, et noxia crimina cordi.
Odit et ipse pater, tot sese vertit in ora,
Arrectisque horret squamis, et ne quid inausum,
Aut intentatum scelerisve dolive relinquat,
Sic prior aggreditur dictis, seque obtulit ultro:
Dic, ait, o virgo (lucis habitamus opacis,

Riparumque toros, et prata recentia rivis
Incolimus), quæ tanta animis ignavia venit ?
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma,
Poenula sunt liquidi fontes, cœlestia dona.
Attrectare nefas, id rebus defuit unum.
Quis prohibet causas penitus tentare latentes ?
Vana superstilio, rerum pars altera adempta est,
Conditio; mea si non irrita dicta putares,
Auctor ero audendi sacrata resolvere jura.
Tu conjunx, tibi fas animum tentare precando.
Dux ego vester ero, tua si mihi certa voluntas,
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opinis.

Eva seducta seducit virum.

Sic ait, et dicto citius, quod lege tenetur
Subjiciunt epulis oculi venerabile lignum,
Instituuntque dapes, contactuque omnia fœdant.

Præcipue insistit pesti devota futura,
Miraturque novas frondes, et non sua poma.
Causa mali tanti, summo tenus attingit ore,
Majus adorsa nefas, majoremque orsa furorem.
Heu misero conjunx aliena ex arbore germen
Objicit, atque animum subita dulcedine movit.

Vident se nudos, et faciunt sibi perizonata.

Continuo nova lux oculis effulsit; at illi
Terrentur visu subito, nec plura morati,
Corpora sub ramis objectu frondis inumbrant,
Consertum tegmen, nec spes opis ulla dabatur.
At non hæc nullis hominum Sator, atque decorum
Observans oculis, cædes et facta tyranni
Præsensit, notumque furens quid femina possit.
Continuo invadit: Procul, o procul este, profani,
Conclamat, cœlum ac terras qui numine firmat.

Adam abscondit se.

Atque illi longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Diffugiunt, silvasque et sicubi concava furtim
Saxa petunt, piget incepti, lucemque nec auras
Respiciunt, lædet cœli convexa tueri.

Increpat Adam Dominus.

Nec longum in medio tempus, cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus, Genitorque per umbram
Talibus affatur dictis, atque increpat ultro:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Quis furor ille novus? quo nunc, quo tenditis? inquit.
Regnorum immemores, quæ mentem insania mutat?
Dicite, quæ lucis miseris tam dira cupido?
Maturate fugam, totoque absistite luco,
Nec revocare gradum, si quando adversa vocarint,
Est licitum: flammis ambit torrentibus amuis
Per medium stridens, torquetque sonantia saxa.
Attollitque globos flammaram, et sidera lambit.

Adam se excusat.

Ille sub hæc: Tua me, genitor, tua tristis imago
His posuere locis, merui, nec deprecor, inquit,
Omnipotens, sonitumque pedum, vocemque tremisco
Consciis audacis facti, monitique sinistri.
Femina fert tristes succos, tardumque saporem;

A Illa dolos dirumque nefas sub pectore versans,
Insentem infando iudicio, moritura puella
Dum furit, incautum crudeli morte peremit.
Suasit enim, scis ipse, nec est te fallere cuiquam,
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error,
Contigimusque manu quod non sua seminat arbos.

Maledictum Serpenti.

Tunc Pater omnipotens solio sic infit ab alto:
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta;
Tuque prior, scelere ante alios immanior omnes,
Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Hortator scelcerum coluber, mala gramina pascas
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Cede locis, nullis hominum cogentibus, ipse
B Tervis ubi argilla, et dumosis calculus arvis.

Maledictum Adam.

At tibi pro scelere (exclamat), pro talibus ausis,
Omne ævum ferro teritur, primusque per artem
(Heu, miserande puer!) terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves: horrebit in arvis
Carduus, et spinis surget paliurus acutis,
Lappaque, tribulique, et fallax herba veneni;
At si triticeam in messem, robustaque farra
Exercebis humum, frustra exspectabis acervum,
Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Insuper his subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et diræ rapit inclementia mortis.

Maledictam Evam.

C Hæc tibi semper erunt, tuque, o sævissima conjunx,
Non ignara mali, caput horum et causa malorum,
Magna lues commissa tibi: heu perdita nescis,
Nec quæ circumstant te deinde pericula cernis.
Nunc morere, ut merita es, quod tota mente petisti.
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.

Expulsos Adam et Evam e paradiso.

At juvenem primum sævus circumstetit horror,
Diriguere oculi, nec se celare tenebris
Amplius, aut notas audire et reddere voces.
Haud mora, festinant, rapidis jussique feruntur
Passibus, et pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium limenque relinquunt
Flentes, et paribus curis vestigia figunt.
Tum victum in silvis baccas, lapidosque corna
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ.

Evam peperisse duos filios.

Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Matri longa decem tulerant fastidia menses,
Unde homines nati, durum genus, inde per artem
Haud herbæ campo apparent, haud arbore frondes,
Inque novos soles audent se gramina tuto
Credere, et in lentis uvam demittere ramis
Instituunt, udoque docent inolescere succo.

Abel a fratre occiditur.

Tunc gemini fratres adolent dum altaria lædis,
Alter et alterius prælato invidit honori,
(Horresco referens) consanguinitate propinquum

Excipit incautum, patriasque obruncat ad aras
Sanguine fœdantem quos ipso sacraverat ignes.

Post occisum Abel Deus irascitur humano generi.

Tunc Genitor virus serpentibus addidit atris,
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Prædariumque lupos jussit, pontumque moveri.
Et passim rivis currentia vina repressit.
Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset rubigo, et victum seges ægra negaret.

Tunc laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum, et duris urgens in rebus egestas
Movit agros, curis acuens mortalia corda.
Detior donec paulatim decolor ætas,
Ferrea progenies durum caput extulit arvis,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Justitia excedens terris vestigia fecit.

Nec longum in medio tempus : furor iraque mentem
Præcipitant, gaudent perfusi sanguine fratrum.
Condit opes alius, delossoque incubat auro,
Nec doluit miserans inopem, dextramque tetendit.

De Diluvio.

Tunc Pater omnipotens graviter commotus ab alto
Æthere se mittit, tellurem effundit in undas
Diluvio miscens, cœlumque in tartara solvit.
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores
Diluit, implentur fossæ, et cava flumina crescunt.
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.

Noe servatur.

Tum pietate gravem, ac meritis, mirabile dictu !
Qui fuit in terris et servantissimus æqui,
Eripuit letho, tantis surgentibus undis,
Ut genus unde novæ stirpis revocaret, haberet.

Post diluvium Deus legem dat hominibus : Judæi bello agitantur.

Diluvio ex illo, patribus dat jura vocatis
Omnipotens, magnisque agitatur sub legibus ævum.
Quid memorem infaudas cædes? quid facta tyranni?
Nesciaque humanis precibus mansuere corda?
Ægyptum, viresque Orientis, et ultima bella,
Magnanimosque duces, totasque ex ordine gentes,
Quo cursu deserta petiverit et tribus et gens
Magna virum meriti tanti non immemor umquam.
Quique sacerdotes adsint altaria juxta,
Quique pii vates pro libertate ruebant.
Qui bello exciti reges, quæ littore Rubro
Complerint campos acies, quibus arserit armis
Rex genus egregium magno inflammante furore
Agmen agens equitum, et florentes ære catervas.
Cætera facta patrum, pugnaque in ordine bella
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

PARS SECUNDA.

DE NOVO TESTAMENTO.

Invocatio ad Deum.

Nunc ad te, et tua, magne Pater, consulta revertor.
Majus opus moveo, vatam prædicta priorum
Aggredior, quamvis angusti terminus ævi
Accipiet, tentanda via est, qua me quoque possim

PATROL. XIX.

A Tollere humo, et nomen fama tot ferre per annos,
Quod tua progenies cœlo descendit ab alto,
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque Dei : cum femina primum
Virginis os habitumque gerens, mirabile dictu!
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edit.
Sed quia terrifico cœcinerunt omine vates
Adventare virum populis terrisque superbum
Semine ab æthereo, qui viribus occupet orbem,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

De Nativitate Jesu Christi.

Jamque aderat promissa dies, quo tempore pri-
[mum

Extulit os sacrum divinæ stirpis origo
Missa sub imperio, venitque in corpore virtus
B Mista Deo, subiit chari Genitoris imago.

De Stella et Magis.

Haud mora, continuo cœli regione serena
Stella facem ducens magna cum luce refulsit.
Agnovere Deum proceres, cunctique repente
Muneribus cumulant, et sanctum sidus adorant.
Tum vero manifesta fides, clarumque paternæ
Nomen virtutis, Christique agnoscere vultum
Flagrant, et quæ det divini signa Decoris.

Metuisse Herodem nato Christo.

Protinus ad regem magno clamore furentem
Fama volat, magnasque acuit rumoribus iras,
Incenditque animum, matrisque allabatur aures.
Illa dolos, dirumque nefas haud inscia rerum
C Præsensit, motusque excepit prima futuros
Præscia venturi, furtim mandavit alendum,
Dum curæ ambiguæ, dum mens exæstuat ira.

Herodes jubet occidi infantes.

At rex sollicitus stirpem et genus omne futurum
Præcipitare jubet, subjectisque urere flammis,
Multa movens, mittitque viros qui certa reportent.
Haud secus ac jussi faciunt, rapidisque feruntur
Passibus, et magnis urbem terroribus implent.
Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes, ante ora parentum
Corpora natorum sternuntur limine primo.

Fugit Virgo cum filio in Ægyptum.

At mater gemitu non frustra exterrita tanto,
D Ipsa manu præ se portans, turbante tumultu,
Infantem, fugiens plena ad præsepia tendit.
Hic natum angusti subter fastigia tecti
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Hæc tibi prima, puer, fundent cunabula flores,
Mixtaque ridenti passim cum baccare tellus
Molli paulatim colocasia fundet acantho.

Christus disputat in templo in medio seniorum.

Et jam finis erat, perfecto temporis orbe,
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt,
Ante annos animum gestans cœlestis origo.

Mirantur omnes Christum.

Per medias urbes graditur, populosque propin-
[quos.

Illum omnis tectis, agrisque effusa Juventus
Attonitis inhians animis prospectat euntem,
Turbaque miratur matrum, quis spiritus illi,
Quis vultus, vocisve sonus, vel gressus eunti est.

Testimonium Joannis de Christo.

Continuo vates, namque hic certissimus auctor,
Ut procul a gelido secretum flumine vidit,
Tempus, ait, Deus, ecce Deus, cui maxima rerum
Verborumque fides : tu non eris alter ab illo,
Fortunate puer, cœli cui sidera parent.
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Expectate venis, spes et solatia nostri.

*Christus baptizatur a Joanne, et Spiritus sanctus
descendit de celo.*

Hæc ubi dicta dedit, fluvio mersare salubri
Acceptit venientem, ac mollibus extulit undis,
Exsultantque vada, et subito commota columba
Devolat, atque super caput astitit, inde repente
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Multos baptizatos cum Christo.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Certatim largos humeris infundere rores.

Vox de cœlo audita est, hic est, etc.

Tunc Genitor natum dictis compellat amicis :
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Et prædulce decus magnam rediture parenti,
A te principium, tibi desinit. Accipe, testor,
O mea progenies : qua sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, perfecto lætus honore
Omnia sub pedibus vertique regique videbis.
Tu regere imperio populos, matresque virosque.
Jampridem resides animos, desuetaque corda,
Ignarosque viæ mecum miseratus inertes
Aggredere, et votis jam nunc assuesce vocari.
Dixerat, ille patris magni parere parabat
Impertis, instans operi, regnisque futuris.
Heu pietas, heu prisca fides, quas dicere grates
Incipiam? si parva licet componere magnis.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec spes libertatis erat, nec cura salutis.

Omnia rident, adveniente Domino.

Hic mihi responsum primus dedit ille petenti,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, meque in mea regna remisit.
Illum ego per flammam, agerem si syrtibus exsul,
Per varios casus, per mille sequentia tela,
Quo res cumque cadant, unum pro munere tanto
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.
Hujus in adventu tantarum munera laudum
Ipsi læticia voces ad sidera jactant
Intonsi montes. Respondent omnia valles.

Tentatur Christus.

Tempore non alio magnum et memorabile nomen
Serpentis furiale malum meminisse necesse est.
Ausus quin etiam, fama est obscurior anni,
Compellare virum, et veniendi poscere causas.
Hunc ubi tendentem adversum per gramina vidit,

A Substitit, infrenitque ferox, dictuque potentem
Saucius ac serpens affatur voce superba :
Verane te facies? verus mihi nuntius affers?
Qui genus? unde domo? qui nostra ad limina tendis?
Fare, age, quid venias, nam te dare jura loquuntur.
Aut quis te juvenum, confidentissime, nostras
Jussit adire domos? pacique imponere morem?
Non equidem invidio, miror magis, accipe porro,
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Est domus alba, voca zephyros, et labere penais
Ardua tecta petens ausus te credere cœlo,
Si modo, quem memoras, pater est, cui sidera
[parent.

Christus diabolum alloquitur.

Olli subridens sedato pectore fatur,
B Haud vatum ignarus, venturique inscius ævi :
Dissimulare etiam sperasti, perfide serpens?
Nec dubites, nam vera vides : opta ardua penais
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Quo, periture, ruis? majoraque viribus audes?
Cede Deo, toto projectus corpore terre.

Diabolus fugit audito Christo.

Nec plura his : ille admirans venerabile donum
Fronte premit terram, et spumas agit ore cruento,
Contentusque fuga cæcis se condidit umbris.

Dominum elegisse discipulos, et statim secutos populos.

Interea magnas volitans it fama per urbes,
Convenere viri, mens omnibus una sequendi
In quascumque velit pelago deducere terras.
C Multi præterea, quos fama obscura recondit,
Concurrunt frenitu denso, stipantque frequentes,
Exsultantque animis : medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suscipit altis.
Quos ubi consertos audere in prælia vidit,
Incipit, et dictis divinum inspirat amorem :
Discite justitiam moniti, et succurrite fessis
Pro se quisque, viri, quæ cuique est copia, læti,
Communemque vocate Deum, meliora sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter, via prima salutis
Intemerata fides, et mens sibi conscia recti :
Vobis parta quies perfecto temporis orbe.
Nam qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, dum vita maneret,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti,
D Tunc cum frigida mors anima seduxerit artus,
Inclusi pœnam expectant, quæ maxima turba est,
Infernisque ciet tenebris, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurgis
Æstuat, atque omnem cocyto eructat arenam.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera, tum stridor ferri, tractæque catenæ
Semper, et obtenta densantur nocte tenebræ.

Præcipitur, ne colantur idola.

Præterea quæ dicam animis advertite vestris :
Non ego vos posthac cæcis de more juvenis
Religione patrum, truncis et robore natas,

Mortalive manu effigies, nec templa decorum
Audire, et repetens iterumque iterumque monebo :
Sed periisse semel satis est, natumque patremque
Profuert meminisse magis, si credere dignum est.
Sed fugit interea, fugit irrevocabile tempus,
Flammaramque dies, et vis inimica propinquat.

De Judicio venturo.

Attonitis hæserè animis : nec plura moratus
Hic aliud majus miseris mortalibus ægris
Judicium canit, et tristes denuntiat iras,
Venturum excidium, vasta convulsa ruina
Omnia tunc pariter rutilo miscerier igni,
Palantesque polo stellas, cœlique ruinam.
Tunc vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor, et taciti ventura videbant.

*Quid sibi faciendum foret, ut vitam æternam posside-
ret, petit quidam a Domino.*

Hæc super adventu cum dicta horrenda moneret,
Ora puer prima signans intonsa juventa,
Dives opum, studiis florens ignobilis otii ;
Quinque greges illi balantum, et bina redibant
Armenta et dapibus mensas onerabat opimis.
Continuo palmas alacres utrasque tetendit,
Et genua amplectens, sic ore affatus amico est :
O Deus, o famæ merito pars maxima nostræ,
Ad te confugio, et supplex tua numina posco :
Omnia perfecit atque animo mecum ante peregi.
Eripe me his, inviete, malis ; quid denique restat,
Quidve sequens tantos possim superare labores ?
Accipe daque fidem, mihi jussa capessere fas est.

Respondit ei Dominus.

Atque huic responsum paucis ita reddidit heros :
O præstans animi juvenis, absiste precando,
Nec te pœniteat, nihil o tibi, amice, relictum est.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Disce, puer, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo, et quæ sit poteris cognoscere virtus.
Da dextram misero, et fratrem ne desere frater ;
Si jungi hospitio properat, conjunge volentem,
Casta pudicitiam servet domus : en age segnes
Rumpe moras, rebusque veni non asper egenis.
Dixerat hæc, ille in verbo vestigia torsit
Tristior, ora modis atollens pallida miris,
Multa gemens, seseque oculis avertit, et aufert.

Christus insedit asello.

Tunc etiam tardi costis agitated aselli
Insedit nimbo effulgens ; tum plurima circum
Matres atque viri, pueri velamina nota
Subjiciunt, funemque manu contingere gaudent.
Janique propinquabat portis, templumque vetustis
Antiqua ex cedro centum sublime columnis
Ingreditur, magna medius comitante caterva.

*Christum ementes et vendentes flagello e templo
expulisse.*

Horrendum silvis, hoc illis curia templum,
Hæ sacræ sedes, miro quod honore colebant.
Namque sub ingenti lustrat dum singula templi,

A Horrescit visu subito : insonitque flagello,
Significatque manu, et magno simul intonat ore :
Quæ scelerum facies, quæve æra micantia cerno,
Cæsaris et nomen ? quæ mentem insania mutat ?
Hæ nobis propriæ sedes, hic tempore certo
Perpetuis soliti patrum considerare mensis.
Obstupere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, mensasque metu liquere priores.

Discipuli periclitantur in mari.

Inde ubi prima fides pelago, tranquilla per alta
Deducunt socii naves, atque arte magistra,
Hic alius funda latum transverberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrunt terræ, crebris micat ignibus æther,
B Eripiunt subito nubes cœlumque diemque :
Consurgunt venti, et fluctus ad sidera tollunt.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Dirigit, cecidere animi, cunctique repente
Portum aspectabant flentes, vox omnibus una,
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati, lethi discrimine parvo,
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.

Christum ambulasse super aquas.

Ecce l'æus magno misceri murmure pontum,
Emis-sanque hiemem sensit, cui summa potestas
Par levibus ventis, et fluminis ocior undis.
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto,
Nec longo distat cursu præeunte carina.
C Agnoscunt longe regem, dextramque potentem
Nudati socii, et magno clamore salutant
Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora venit,
Hic vero horrendum, ac visu mirabile, forte
Subsidunt undæ, remo ut luctamen abesset,
Collectasque fugat nubes, graditurque per æquor
Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tingit.
At media socios incedens nave per ipsos,
Ecce gubernaculo rector subit ipse magister,
Intremuit malus, gemuit sub pondere cymba.
Vela cadunt, puppique Deus consedit in alta,
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.

De Cæna Domini.

Devexo interea propior fit vesper olympo.
D Tunc victu revocant vires, fusi que per herbam,
Et dapibus mensas onerant, et pocula ponunt.

Docet Sacramentum.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Ipse inter primos genitori instaurat honores
Suspiciens cœlum, tunc facta silentia linguis.
Dat manibus fruges, dulcesque a fontibus undas ;
Implevitque mero pateram, ritusque sacrorum
Edocet, immiscetque preces, ac talia fatur :

Prædicit ab uno se traditum iri.

Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras :
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit,
Promissisque patris, vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo ;

Et lux cum primum terris se crastina reddet,
Unus erit tantum in meque, exitiumque meorum,
Dum medium paci se offert de corpore nostro.
Namque dies (ni fallor) adest, secludite curas:
Mecum erit iste labor, nec me sententia fallit,
Unum pro multis dabitur caput. Hæc ita fatus,
Conticuit, seramque dedit per membra quietem.

Apostolos fugisse.

Diffugiunt comites, et nocte teguntur opaca;
Multaque dura suo tristi cum corde volutant.
Quid faciant? hærent infixi pectore vultus,
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.

Conquestio Petri ad condiscipulos.

Tunc senior tales referebat pectore voces,
Multa putans: ubi nunc nobis Deus ille magister?
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedem?
O dolor, atque decus tantarum gloria rerum!
Jamjam nulla mora est, et nos rape in omnia tecum,
Oramus, teque aspectu ne subtrahe nostro.

Sacerdotes cum populo contra Christum.

Oceanum interea surgens aurora reliquit,
Jamque sacerdotes late loca questibus implent,
Cum populo et patribus, ferturque per agmina mur-

[mur:

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara
[morem

Permittit patria? pœnas cum sanguine poscunt
Undique collecti, et magno clamore sequuntur
Insontem, sævitque animis ignobile vulgus.

Christus hora sexta deducitur, ut crucifigatur.

Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Tunc subito hunc acciri omnes populusque patresque
Exposcunt, farique jubent, quo sanguine cretus,
Quidve petat, quidve ipse ferat: prædamque tuentes
Facta viri, mistus dolor et stupor urget inertes.
Nescia mens hominum! certant illudere capto.
Tum vero captis concurrunt undique telis:
Tollitur in cœlum clamor, cunctique repente
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituunt, spinisque ligant ingentibus illum.
Tendebatque manus, pedibus per mutua nexis,
Triste ministerium! sequitur quos cætera pubes,
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Ille autem impavidus, Quo vincula nectitis? inquit.
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

Fit terræmotus, et sol obscuratur.

Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit, et rebus nox abstulit atra colorem,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Terra tremit, fugere feræ, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: inde repente
Dat tellus gemitum, et cœlum tonat omne fragore.

Christum descendisse ad inferos.

Extemplo comites Erebi de sedibus iniis

A Umbræ ibant tenues: tellus quoque et æquora ponti
Signa dabant, sistunt amnes, terræque debescunt.
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, et umbrosæ penitus patuere cavernæ.
Sol quoque et exoriens (cuncti se scire fatentur)
Tunc caput obscura nitidum ferrugine textit.

Christum tertia die resurrexisse.

Hosque inter motus, media inter talia verba
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram.
Jamque pedem referens superas veniebat ad auras,
Cum subito ante oculos ingenti mole sepulcrum,
Corpus ubi exanimum positum, nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent, avulsæque saxis
Saxa vident, laxis laterum compagibus arctis.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus,
B Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Foribus clavis apparuisse Christum discipulis.

Ecce autem primi volucrum sub culmine cantus:
Ingreditur, linquens antrum, spoliisque superbus
Ibat ovens, pulsuque pedum tremit excita tellus,
Vulneraque illa gerens foribus sese ingerit arctis.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenit admirans numerum, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram quem quæritis adsum:
Vicit iter durum pietas, et vivida virtus.
Præcipites vigilate, viri, timor omnis abesto.

Instruit apostolos.

Illi nostri reditus, exspectatique triumphi,
C Hæc mea magna fides; o terque quaterque beati,
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis
Præmia posse reor solvi? quæ dona parari?
Accipite ergo animis: quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet, revocate animum mœstumque timorem
Mittite, jam vosmet rebus servate secundis.

Christum apostolis pacem reliquisse.

Quod superest, læti bene gestis ordine rebus,
Pacem optate manu, pacem laudate sedentes
Magnanimi: pacis solum inviolabile pignus.
Et simul his dictis faciem ostendebat et ora,
Ora manusque ambas, populataque pectora ferro:
Immiscetque manus manibus, gaudentque tuentes,
Nec vidisse semel satis est, juvat usque morari,
D Et conferre gradum, et dextræ conjungere dextram.

De Ascensione Christi.

Illis demum exactis, spirantes dimovet auras
Aera per tencrum, cœloque in vectus aperto
Mortales visus medio in sermone reliquit.
Infert se septus nebula, mirabile dictu!
Ast illum solio stellantis gloria cœli
Accipit, æternumque tenet per sæcula nomen.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, tot jam labentibus annis.
I, decus, i, nostrum, tantarum gloria rerum,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Et nos et tua, dexter, adi pede sacra secundo,